

nuo morantes, in necessitate parochos Franciscanos adjuvabant. In parochia Duvno, ait ille, »praeter hunc siquidem (parochum Franciscanum) et socium ejus est et tertius saecularis presbyter, cum propria domo, qui juvat eis excolere vineam Domini.<sup>199</sup> Idem testatur etiam provincialis Bosnae Argentinae a. 1768 in relatione ad S. C. de Propaganda fide eos non esse parochos.<sup>200</sup> Nec aliter sentit tertius Vicarius Apostolicus, episcopus Bogdanović, ex cuius relatione de a. 1769 secretarius S. C. de Propaganda fide pro sessione plenaria exscribit: in Vicariatu »si contano da 80 sacerdoti claustrali (frati), oltre a 12 preti secolari, che servono per le parochie a titolo di coadjutori«.<sup>201</sup> Adhuc magis clare loquitur episcopus fr. Marcus Dobretić, qui pro ipsis praecipue et sacramentalem theologiam conscripsit, ait enim: »Ordinantur (illi presbyteri) ad titulum patrimonii«, et prosequitur — »auctoritate et approbatione Vicarii Apostolici, illi qui sunt sufficientes doctrina et honestate vitae praediti, assumuntur in coadjutorium, et in socios missionariorum et parochorum«.<sup>202</sup> Idem omnino S. Congregationi scribit episcopus Miletić a. 1824: In Vicariatu Apostolico inveniuntur »soli cinque sacerdoti preti di rito illirico, li quali servono in qualità di coadjutori de parochi, dove la necessità li chiamma«.<sup>203</sup> Nullibi aliam invenimus sententiam, neque posteriores Vicarii Apostolici aliter sentiunt.

De facto ergo non constat eos fuisse parochos, sed vel, domi morantes, ex ordinarii concessione adjuvabant paro-

<sup>199</sup> »Hos ultra (i. e. parochum Franciscanum cum socio) quatuor presbyteri saeculares ejusdem patriae cum propriis domibus continuo permanentes existant. Qui ob distantiam locorum ac vastitatem curae hujus, ubi praefati patres quandoque praesto esse non possunt, hi fidelibus in necessitate occurrente, quoad exaudiendas confessiones, et alia necessaria, caritatem sacerdotalem non denegant«, Jelenić, Spomenici, 78, 79.

<sup>200</sup> Jelenić, o. c. 169, 173.

<sup>201</sup> Archivum Prop., Acta, 1769, v. 139, f. 243v; cfr. etiam originalem relationem ejusdem episcopi Script. Orig. Rif., 1769, v. 824, f. 462r ubi inter alia sic scribit: »Presbyteri autem saeculares, ubi nunc inserviunt, prout in actis meae visitationis nominatim exprimuntur... omnes in cura animarum ut coadjutores se exercent«.

<sup>202</sup> Archivum Prop., Script. Orig. Rif., 1775, v. 841, f. 135v.

<sup>203</sup> Archivum Prop., Acta, 1824, v. 187 f. 532v.